

B. N. II, 130.

(X 1880464)

fr. 33, 17.

Disputatio Inauguralis Juridica

DE

REVISORIIS JUDICIIS
CUM IN GENERE TUM IN SPE-
CIE STATUUM IMPERII,

QUAM

AUSPICE DEO TER OPT. MAX.

Ex decreto & autoritate

MAGNIFICI ATQ; AMPLISSIMI JCTORUM Ordinis,

Hujus Antiquissima & Celeberrima Electoralis Academia

Heidelbergensis SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi, Excellentissimi ac Consultissimi

DOMINI

HENRICI COCCEJI,

ANTECESSORIS DECRETAL. PANDECTARUM & JU-
ris Gent. Profess. Ordinarii & Regiminis Electoris

Consiliarii Gravissimi,

Domini & Fautoris sui Colendissimi,

PRO

PRO

Summis in Utroq; Jure Honoribus & Privilegiis

Doctoralibus Rite capessendis

Publico & solenni Eruditorum examini subicit

JOHAN. GEORGIUS GEBHARD,

Alsteldiâ-Hassus.

Die 28. Aug. ANNO M. DC. XXCVII.

HEIDELBERGÆ,

Apud JOH. DAVID. BERGMANNUM, Walt. her. El.

& Acad. Typogr.





Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper. Some words are faintly visible, such as "ANAVIANA" and "BIBLIOTHECA".



THESES I.

Appellandi usus, inquit Ulpianus *in l. 1. princ. ff. de appell.* quam frequens sit, quamque necessarius, nemo est qui nesciat, quippe cum iniquitatem judicantium vel imperitiam corrigat. Quæ eadem utilitas fecit, ut, licet appellatio deficiat, ejus tamen loco, ne per sententiam inique gravatus conqueri possit, nullam sibi ad causæ suæ justitiam tuendam patere viam, aliud quandoque remedium substitutum fuerit, nempe saluberrimum remedium Revisionis, de quo nunc pro disputatione inaugurali, & primum quidem de origine ejus, pauca differere constitui.

II. Referenda vero est Revisionum origo ad jura ac privilegia de non appellando, quæ ab initio quidem concessa fuerunt Præfectis Prætorio *l. un. §. 1. d. off. Præf. Prætor.* Nam etsi exemplo eorum, qui provocaverant, permissum esset à Præfectis Prætorio appellare, postea tamen publice sententia principali lecta, facultas illa interdicta est, ut constat ex *d. l. un. c. de sent. præf. prætor.* non provocandi, sed supplicandi licentia à præfectis prætorio ministratur, ut enim in ipsa justitiæ administratione pateret discrimen Principis & Præfecti Prætorio, placuit à Magistratus sententia recurri posse ad Principem, non quidem ordinaria provocatione, sed specie supplicationis. Eademque ratione hodie judicia, quæ appellationem non admittunt, revisiones tamen patiuntur.

III. Revisionis vox aliquando accipitur pro remedio, aliquando pro judicio ipso. Priore sensu est remedium juris subsidiarium, quo iterum causa, deficiente propter qualitatem judicii appellatione, agitur. Qualitas enim

A 2

quædam judiciorum est, quod ab iis, quia vel summa vel privilegiata sunt, appellari non potest, eamque qualitatem in definitione intelligimus. Posteriore sensu est iudicium illud, in quo causa ex dicta ratione iterum cognoscitur.

IV. Revisiones vel sunt Imperii, quæ adversus sententias summi tribunalis fiunt, & concessæ sunt *in Ord. Cam. pag. 3. tit. 53.* iisque in Aulico Iudicio respondet remedium supplicationum. *Inst. Pac. Cas. Svec. art. 5 § 55.* Vel statuum Imperii in suis territoriis, quorum respectu privilegium de non appellando habent. Non enim inferiora Dicasteria, à quibus appellari quoque regulariter potest & appellatio saltem singulari privilegio remittitur, declinare hoc remedium possunt, quod summa tribunalia, à quibus natura sua non datur appellatio, eorumque Doctissimi Antistites ferunt.

V. Est vero & alia species Revisionis, in casu quo summa appellabilis non est, ex *R. J. d. ann. 1600. §. 16. & R. J. noviss. §. 113.* cum non tantum data sint privilegia de non appellando quibusdam statibus jure singulari; Sed & communi jure omnibus concessum fuerit, ne appellatio ab iis datur, usque ad certam summam; quæ hodie est 400. Imperialium; *R. J. noviss. §. 112.* datur in hunc quoque casum, cessante appellatione propter quantitatem summæ, singulariter aliquod Revisionis remedium, quod in quibusdam à cæteris speciebus diversum est; ut suis locis declarabitur.

VI. Et hoc Revisionis remedium longe initius est Syndicatu, quod solum remedium olim fuit juxta *R. J. d. ann. 1532.* Per Revisionem enim nihil adversus judicem priorem intenditur, nec is incusatur; sed tantum reformatio sententiæ, uti per appellationem, petitur. Verum si ex illa Revisione forte appareat, judicem dolo seu per gratiam aut formam aliquid fecisse, tum pars de syndicatu adversus ipsum agere potest, *Ord. Cam. p. 3. tit. 53. §. fin.*

VII.

VII. Ut autem Revisio locum habere possit, requiritur I. ut summa sit revisibilis, quæ in Imperii Revisionibus est 2000. Imperialium fortis. *d. R. J. noviss. §. 127.* In statuum vero territoriis ex arbitrio ipsorum pendet, eam æq̄ ac summam appellabilem definire: ex cujus quoq̄ quantitate proportio quædam juxta constitutiones Imperii sumi potest. Ex iis enim inter summam appellabilem & summam revisibilem est proportio quintupla, & hæc illa quintuplo major. *d. R. J. noviss. §. 112. junct. §. 127.*

VIII. Requiritur II. ut causa, in qua Revisio petitur, sit appellabilis, & talis, ut si sententia in inferiore judicio lata esset, inde appellari ad superiorem potuerit. *d. R. J. §. 125. & 127.* Unde omnino etiam in causis, quæ per modum simplicis querelæ, seu in prima instantia ad Cameram pertinent, revisio locum habet, etsi intentari in inferiore judicio non possit. *Rhodinus l. 3. t. 61. p. 1012. Diss. Blum. t. 79. §. 20.*

IX. Atq̄ hæc regula est, ex qua porro definiendum, in quibus causis Revisiones locum non habeant; nimirum in quibus appellari non posset, si inferior judex sententiam dixisset. Qua ratione certum omnino est, in criminalibus, ex usu Imperii, Revisiones non dari, quia & appellationes cessant. *Ord. Cam. p. 2. tit. 28 §. 5.* Quod jus impugnando operam perdidit *Just. Obdekop. integro tractatu de Appell. in crim.*

X. Inde vero nihil inferri potest ad causas fractæ pacis publicæ; etsi enim id omnino crimen sit, non tamen criminalis inde actio in camera, sed civilis instituitur ad damnorum restitutionem & pœnam pecuniariam partim actori, partim fisco applicandam *Land-Fried de anno 1521. tit. 3.* Hæc enim & plures pœnarum gradus etiam Jurisdictioni seu Imperio mixto quoq̄ cohærere possunt. *l. 2. ff. de in jus voc. l. un. pr. ff. si quis jus dic.* hodieq̄ imprimis tribui solent.

Vid. Wehner. Pract. Obs. voc. Bogten. Imprimis si, qui Imperium mixtum habet, etiam jus fisci habeat, & jurisdictio ipsius in causis quoque fiscalibus fundata sit, uti de Camera id constat ex *Ord. Cam. p. 3. tit. 20.* Igitur & revisio in causis fractæ pacis locum habebit. *Diss. Bender. de Revis. Concl. 34.* ubi putat ex hac causa criminaliter in Camera agi & tamen Revisionem locum habere.

XI. Cum igitur Appellatio & Revisio hætenus comparentur, & jus appellandi sit norma, quæ definit causas revisibiles, certum est, in omnibus causis, in quibus appellatio saltem quoad effectum devolutivum valet, etiam revisiones, quo ad istum effectum devolutivum, admitti, adeoque hodie simpliciter; cum nullum amplius effectum quam devolutivum habeant; *ut th. 21. inf.* explicabitur.

XII. Quæritur autem, an & quatenus in possessoriis remediis appellari adeoque & Revisio peti possit? Et quidem in possessorio ordinario plenario, quod vocant, pleno jure appellari, & proinde Revisiones quoque fieri posse, dubitandum non est; cum *l. un. c. si de mom. poss.* restricta sit expresse ad momentarias possessiones, & in possessoriis appellari posse ex *R. J. de ann. 1594. §. 92. & seq.* constet, idque imprimis hodierno usu & praxi ita receptum sit, teste *Gail. 1. Obs. 7. in fin. & obs. 147. n. 8.*

XIII. Contra, dubium quoque non videtur, in summarissimo illo remedio litigiosæ possessionis, quod in casu metus armorum constitutum est in *Ord. Cam. p. 2. tit. 21. §. fin.* nullam appellationem, ne quidem quoad effectum devolutivum, adeoque nec revisiones fieri posse. Quæ enim necessitas appellandi, ubi aliud adhuc possessorium retinendæ superest, in quo jura possessionum perinde, utroque actore & reo,

& reo, tractari possunt ac si nulla sententia præcessisset? Nullum igitur præjudicium ex ista sententia; & hæc mere interlocutoria, ac possessorium adhuc integrum est. Atque hoc singularissimum est in isto casu, quod duo possessoria ejusdem generis successive intentari possint: id vero metus armorum expressit, qui non cessaret, si ullum præjudicium ex hoc judicio maneret.

XIV. Supereft ergo dubium, quid juris in reliquis possessoriis, quæ momentaria dicuntur, & vero ordinaria possessoria sunt, & quorum non nisi unum in eadem causa, non vero momentario finito aliud ordinarium postea dari potest, sed solum petitorium supereft. *d. l. un. C. si de mom.* Dicitur autem ita videntur, quia processus est momentarius, ut colligitur ex *l. 8. C. Unde vi.* adeoque in omni genere possessoriorum contingere potest, ut judicium sit momentarium, quod & probe observavit, *Bender. d. tract. Concl. 35. n. 18.*

XV. De his itaque traditur *in d. l. un.* quod appellatione interposita sententia lata sortiatur effectum. Id vero DD. communius ita intelligunt, quod sententiæ executio non suspendatur, adeoque appellatio ista effectum suspensivum non habeat, sed tamen devolutivum: quod nec verbis illis, nec rationi incongruum videtur, & ita in Practica servari dicitur à *Marant. in Prax. Jud. p. 6. vers. Et quandoque appellatur. n. 305.*

XVI. Et sane, cum in *Ord. Cam. p. 2. t. 28. §. fin. & sit. 29. §. 3. & 4.* luculenter decisum sit, quod appellatio cum à definitiva, tum ab ea, quæ vim definitivæ aut damnum per appellationem à definitiva non reparabile habet, fieri possit, quæ & communis fuit DD. sententia, non dubitandum videtur, quin appellatio in his quoque pos-

possessoriis admittenda sit, quia eorum sententia magis vim definitivæ habet, quæstionem possessionis finaliter decidit, & irreparabilis sæpe præjudicii est, imprimis quoad probationes. Sive autem sententia interim suspendatur, forte propter celeritatem judicii, sive non, parum huc refert, quia nihilominus revisio locum habet; ut dictum *thes. 10.* Idemq; sentit *Bender. d. tract. Concl. 35. n. 37. & seqq.* Equidem casus jure communi esse exceptos constat *l. fin. de App. rec. l. 36. c. de Appell. l. 6. c. 2. or. appell. & c.* in quibus proinde & revisio cessabit.

XVII. Cessat quoq; eadem ratione Revisio in sententiis in contumaciam præmissa citatione peremptoria rite latis; *per l. 73. §. fin. de Judic. l. 23. §. fin. de Appell. l. 1. c. quor. App.* Secus, si non præcesserit rite peremptorium edictum: tunc enim uti appellatio admittitur *per l. ult. §. 1. ff. de appell.* ita & Revisio *Clem. un. de dol. & cont. Gail. 1. Obs. 132. in fin.* Quæ proinde juxta communem Dd. sententiam recte quoq; admittitur in sententia, qua ex *L. Diffamari* perpetuum silentium imponitur.

XIIX. Secus item, si de purganda contumacia agatur, atq; de ipsa contumaciæ causa disputetur, sive re integra sive restitutione petita, sive quocunq; legitimo modo, & sententia feratur: ab ea enim appellari & Revisio peti potest: Quia in hujus causæ dubiæ cognitione iniquitas accidere potest, quæ locum faciat appellationi & revisioni. At post edictum peremptorium ex necessitate juris sequitur sententia in contumaciam. *p. l. 70. junct. l. 73. pr. ff. de Judic.* Aliter distinguunt Dd. inter contumaces veros, fictos &c. quod nunc mittimus.

XIX. Idem est, si quis ex sua confessione vel delato alteri præstitoq; jurejur. condemnatus est: Nam & hic ap-

appellare non potest, quia necessario jure condemnandus fuit. *l. 2. C. Quor. app. rec. l. 12. §. 3. C. de reb. cred. l. 34. §. fin. ff. de jurej.* Unde nec Revisio locum habebit.

XX. Ob eandem rationem cessat post tres conformes sententias; *arg. l. un. C. Ne liceat in un. ead. caus. c. sua nobis 65. X. de Appell.* Licet Camera, cui nihilominus recipiat appellationes, etiam Revisiones admittere debeat. Secus est, si clausula, remota appellatione, adjecta fuerit, vel pars appellationi renunciaverit: Etsi enim appellatio locum non habeat, revisio tamen habet. *Bender. d. tract. Concl. 36.* Ratio diversitatis est, quod priore casu lex in genere appellationem abstulerit; Posteriores vero causa sua natura sit appellabilis, adeoque & revisibilis: & proinde si clausula solam appellationem auferat causæ, revisionis jus manet; Idemque est, si pars soli appellationi renunciaret.

XXI. Effectus Revisionis non iidem sunt cum effectibus Appellationis, imprimis enim, quando res per appellationem ad judicem superiorem devoluta est, jurisdictio inferioris suspenditur, & solet ei à superiori injungi, ne ulterius procedat. Quicquid postea innovatum, in pristinum statum est reducendum, licet causa non sit vera. Revisionis vero remedium è contra jure quoque communi effectum suspensivum non habet, id est, sententiam ordinarie suspendere vel executionem impedire non potest, modo cautionem pars victrix præstet, si forte intra decendum, uti in appellatione, remedium intentatum fuerit. *N. 119. c. 5. & Auth. qua supplicatio C. de Prec. Imp. off.* ubi remedium hoc supplicatio & retractio dicitur, quæ tamen ab hodierno revisione in quibusdam differt. Atque hoc jus commune olim confirmatum quoque fuit *in R. J. de ann. 1532. §. 17.*

XXII. Aliud vero postea in Camera obtinuit moribus & ex legibus Imperii, in specie ex *Ord. Cam. p. 3. tit. 53. §. 7. & 8. & R. J. de anno 1600. §. 157.* cautumque fuit, ut executio tamdiu suspenderetur, donec causa cognita constare posset, utrum sententia revidenda, confirmanda vel reformanda esset, & tunc demum executioni mandaretur. Cum etiam de sententia ordinationis lis esset inter Camerales, clarius id determinatum ac decisum fuit *in d. §. 157. vid. Rhodig. in Pand. Cam. p. 3. tit. 61.* Sed demum reductum jus commune & effectus Revisionis suspensivus, sub onere tamen præstandæ à victore cautionis, in secularibus causis iterum sublatus fuit. *R. J. noviss. §. 124.* Causis vero ecclesiasticis & religionis effectus ille adhuc relictus est *in d. §. 124.*

XXIII. Inde quæstio institui potest de effectu interpositæ revisionis in iudicio statuum. De Jure communi, ut ostensum est *in th. 21.* certum est, supplicationis via, quæ revisionis instar est, executionem non tardari, modo, si intra decendum supplicatio fit, præstetur sufficiens cautio de iudicato faciendo *per text. in Auth. quæ supplicatio. C. d. prec. Imp. off.* Huic juri communi, imprimis post liminio *per Rec. noviss.* restituto, omnia conformia esse statuta & jura particularia locorum, donec aliud speciali statuto cautum reperiat, atque inde hoc remedium regulariter haud esse suspensivum executionis, sed tantum devolutivum causæ, dicendum est. Idque longe utilius est; Processus enim si in puncto executionis tantisper differretur, donec revisio expediatur, fieret id magno incommodo tam iudicis quam partis victricis, jurisque tot sumtibus ac laboribus quæsitum effectus sæpe in multos annos prorogaretur. In Palatinatu hæc res plana est lege expressa, idemque, quod de devolutivo effectu revisionis, sublatoque suspensivo, constitutum legitur *in R. J. de ann. 1654*

§. Nach

§. Nach Berathschlagung. 124. repetitum est in Ebur-Pfalz
Revisions-Ordnung. iii. 2. §. Fünftens.

XXIV. Cæterum, illæ Revisiones demum executionem non suspendunt, quæ interpositæ sunt post promulgatum noviss. Recess. quod patet ex eodem hocce recessu §. 124. *in verb. Jus fünftig usgehebt, & in verb. in den fünftigen revisionibus.* Veterum vero Revisionum decisiones reservatæ sunt visitationibus extraordinariis tunc decretis per d. §. 124. sed quæ nondum cœptæ sunt. Executio autem tantisper suspenditur, quamdiu de puncto cautionis disceptatur.

XXV. Etsi autem executio olim per Revisionem suspensa fuerit; dicitur tamen in R. J. 1600. §. 157. quod, si in causis hereditatis, restitutionis in integrum & similibus, revisio petita fuerit, parti victrici non obstante revisione, liberum esse debeat in puncto liquidationis procedere: ubi per similes actiones intelliguntur illæ, in quibus per sententiam quæstio in genere tantum deciditur, in specie autem adhuc decidendum superest, quid sub deciso contineatur, quod per liquidationem fit, uti in obligationibus ad id quod interest: talia enim sunt exempla, quæ in d. §. 157. proponuntur. Quando igitur actor declaratus est v. g. heres, & contra eam sententiam revisio petitur, non quidem restitui ipsi tunc poterat hæreditas, executione quippe suspensa, at in liquidando, quid ad hæreditatem pertineat, &c. interim, pendente quoque Revisione, procedere potest. Quod proinde jus adhuc in veterum Revisionum iudicio, uti & in omnibus ecclesiasticis causis &c. observandum, in novis autem Revisionibus secularibus, quia executio totius causæ interim quoque procedit, supervacuum est. In causis quoque mandatorum de relaxandis captivis, decretis alimentorum, sententia nec olim suspensa sed executioni demandata fuit, verum præstita

prævia idonea cautione. *de R. J. 1600. §. 159.*

XXVI. Judex Revisionum est is, cujus est summum illud judicium, contra quod Revisio petitur: nam alius adiri pro reformanda summi judicii sententia non potest. Is vero solet hoc judicium Revisorium explicare per Delegatos vel Commissarios suos. In Revisione sententiæ Cameralis itaq; is est Imperator cum Imperii Ordinibus, à quibus qui delegari debeant ad exercendum hoc judicium disponitur *in O. C. p. 3. tit. 53. §. 1. Add. R. J. noviss. §. 128.* In Statuum autem judiciis Revisoriis liberum ipsis est quos velint delegare, modo idonei sint, nec priori sententiæ concipiendæ aut ferendæ interfuerint: *Instr. Pac. Cas. Suec. Art. 5. §. 55. R. J. noviss. §. 130.*

XXVII. Horum nunc Judicum Commissariorum, sive in Imperii, sive statuum judiciis revisoriis, jurisdictio qualis sit quæritur? Et quidem videtur illis nulla plane jurisdictio in vero & legali sensu tribuenda, sed nuda notio, quia ipsis executio sententiæ non competit, sed uti in priori specie Cameræ *Ord. Cam. p. 3. tit. 53. §. 12. & 15.* ita in altera vulgo summis Dicasteriis. Verum cum Judex Revisionum Cameralium, ut diximus, sit ipse Imperator cum statibus, ille exequitur per Cameram, atq; hanc totam potestatem suam, quæ omnino jurisdictio est committit delegatis. Ita in specie in statutis Revisoriis Palatinis quoq; ut executio per dicasterium fiat, dispositum est *in tit. 2. §. 3.* atq; id alias in statuum quoq; judiciis Revisoriis obtinet, nisi aliud singulari statuto vel usu constitutum sit.

XXIX. Possæt itaq; jurisdictio hæc potius delegata videri; quia Consiliarii in jurisdictione hac exercenda non sub sed Principis nomine immediate funguntur, perindeq; est

ac

ac si ipse Princeps iudicium exerceret, ut ipse alia negotia sua per Ministros suos explicat, & illi vicariam operam præstant: Cum ergo non nisi ex singulari commissione Principis hanc jurisdictionem habeant, ordinarii quoq; dici nequeunt; Cui enim non competit id à quo denominatio fieri debet, ipsi etiam denominationem ipsam non competere necesse est. Quod si vero in Principatu certum constitueretur iudicium Revisorium, vel si Revisio competeret ordinario iudicio uti oberleuterationes Saxonicae, etiam ordinaria videri posset huiusce iudicii iurisdictio. Utroq; vero casu recte dicitur, esse ipsam jurisdictionem Principis, & eandem illius ac iudicii talis jurisdictionem, uti mandantis & mandatarii *arg. l. 1. § 1. Quis à quo appell.* atq; ideo hos Commissarios aliis vices suas committere non posse *l. 5. ff. d. iuris d.* nisi in specie id concessum fuerit, ut in visitationibus *in R. J. noviss § 128.*

XXIX. Ulterioris est quæstionis, an ab eiusmodi delegatis iudicibus revisoriis recurri possit ad committentem, si quis se gravatum allegat? Appellationes quidem à delegatis fieri posse videmus *ex L. Præcipimus 32. § 2. c. de appell.* In Revisionibus id non videtur. Novimus *ex l. 5. C. de prec. Imp. off.* quod non detur supplicationis supplicatio, sed semel tantum liceat supplicare, quod etiam confirmatum est per *Ord. Cam. p. 3. tit. 53. §. In Fall. 7.* Quo etiam facit, quod Constitutiones Imperii saltem contra Camerales, non etiam contra Revisorum sententias revisionem concesserint, quorum sententia ob tam diligens examen Assessorum quam Revisorum recte se habitura maxime præsumitur.

XXX. Alii fœdere distinctionis hanc rem conciliari posse arbitrantur: Si enim illa pars, quæ in priori instantia iudicii privilegiati succubuit, contra Revisorum iudicium ite-

2910181

rato revisionis auxilium ad Committentem interponat, au-
 diri sane eam minime debere ajunt; Et de hac specie agi in
 locis allegatis. At si pars, quæ obtinuit, in Revisorio victa
 est, Revisionem iterum peti posse: hoc enim casu diversam
 esse rationem. Nam si ea pars, quæ in instantia judicii ordi-
 narii vicisset, succumberet in revisorio, divisa esset præsum-
 ptio autoritatis & bonæ causæ. Si iste nunc, contra quem mi-
 litat præsumptio, refugere potest ad revisionis præsidium,
 quare non etiam ille, qui in ordinario obtinuit, præsumptio-
 nemq; pro se habuit & allegare potuit? Præterea etiam sci-
 endum, quod, uti contingere potest, ut Assessores judicii
 contra appellationes privilegium habentis, perperam sen-
 tentiam ferant, sic & in Revisorio id impossibile non esse,
 congruumq; proinde fore, ut tali specie detur recursus ad
 Principem contra Revisores, ne quod uni partium antea
 permissum fuerit, alteri denegetur, *l. 41. pr. d. R. J.* Et quod
 quis in propria persona æquum judicavit, hoc ipsum in al-
 terius persona iniquum dicere in civile est.

XXXI. Atq; hoc ipsum est, quod Dd. Practici in dubium
 vocant in quæstione, an detur revisio revisionis contra sen-
 tentias Camerales. Idem quæri potest etiam de Revisioni-
 bus, quæ interponuntur à superioribus statuum Imperii ju-
 diciis; & ratio hujus distinctionis, qua autores utuntur, qua-
 drare quoq; revisionibus particularibus in Principum sta-
 tuumq; Imperii judiciis videtur, ut nec tunc quicquam im-
 pediatur, quo minus pars victrix prioris instantiæ, dum
 succumbit in revisorio, quærat novam instantiam, quia & i-
 psi Revisores homines sunt & errare possunt; Cur non E,
 tali specie revisio contra revisionem danda esset. Nec in
 contrarium allegandum videtur, quod jure communi non
 legamus revisionum revisiones concessas, quia ajunt, Imper-
 ratores

ratores olim ipsos cognoscere solitos esse, quod multis sane legibus constat, *l. velut in Aemilius 38. ff. d. min. In l. testium 3. §. 3. ff. d. test. in l. proxime 3. ff. de his quæ in test. del. & in l. qui filium 74. §. 1. ff. ad Sct. Trebell.* Unde mirum non est à supremi Monarchæ sententia non permissum fuisse vel appellationis, quod stultum Ulpianus dicit *in l. 1. §. 1. ff. à quib. appell. non lic. vel revisionis remedium, quando à sententiis Præfectorum Prætorio supplicatum fuit ad Imperatores d. l. ux. C. d. sent. Præf. Præf.* Hinc etiam cernimus magnam diversitatem sententiæ ab ipsomet Imperatore vel cum præscitu vel consensu, aut sine ejus præscitu aut consensu, quavis in supremo Imperii Tribunali pronunciata. *Vid. Ord. Aul. Ferd. III gloriosissimi Imperatoris Tit. von relation der Acten. §. Wo aber die Stimmen. cum §. seq.*

XXXII. Verum nec hoc casu Revisiones Revisionum dari satis expressum est *in Ord. Cam. p. 3. tit. 53. §. 4. in fin. ubi dicitur. Soll mit der execution der reformirten Urthel an dem Cammer-Gericht vollzufahren werden.* Quod utiq; fieri non posset, si locum adhuc haberet Revisio, quippe quæ tunc effectum habuit suspensivum. Et cum revisio sit remedium extraordinarium, quin ex singulari privilegio ac beneficio in certis tantum & definitis causis datum, non potest id obtinere, nisi in casibus, in quibus hoc expresse aut manifeste constitutum est. Nullibi autem in toto jure communi vel in Recessibus Imperii reperitur, quod Revisio quædam concessa esse debeat contra sententias Revisorum, quin ne quidem ubi concessa sit in genere; sed semper & ubiq; illud Privilegium restringitur expresse ad sententias Camerales. *uti in R. J. 1532. tit. 2. §. 17. Ord. Cam. p. 3. tit. pen. in rubro & nigro. R. J. 1594. §. 99. R. J. 1600. §. 157. R. J. noviss. §. 124. 127. &c.* Tam constanter igitur & evidenter restrictum ad sententias
Ca-

Camerales privilegium non potest ad sententias Revisorum extendi; sed tutissime infistitur expressis his constitutionibus, donec contrarium aperte probetur. Sed & constat Revisiones fieri per Visitationes, visitationisq; partem esse. *O.C. p. 3. tit. pen. §. 1. 2. 5.* Et veteres Revisiones per extraordinarias visitationes explicantur. *R. J. noviss. §. 124. 128. & multis seqq.* Certum autem est, visitationes tantum Camerae, non autem judiciorum Revisoriorum, in Imperio constitutas esse, ut ex citatis aliisque locis passim apparet. Nec magis igitur Revisiones Revisionum quam visitationes visitationum, aut, quod ridicule quidam allegant, appellationes à male informato Principe ad melius informandum, ab eodem ad eundem fingi possunt.

XXXIII. Et nullius momenti est ratio, qua praecipue nituntur, ab aequalitate partium, scil. quod uni parti licet, alteri quoque licere. Nam primo id verum non est, quando alter non habet remedium juris, uti prior id habuit: eadem enim ratione etsi actor bis provocasset & in summo iudicio tandem obtinuisset, jus tamen binæ provocationis, quod actor habuit, reo concedi nequit, quia id remedium plane amplius non competit, sed nec bina revisio, quam eidem parti bis non dari in confesso est. Et frustra dicitur, Actorem hanc viam probasse, quia remedia & privilegia juris non oriuntur ex voluntate vel approbatione partis, sed ex lege publica. Sed & est utique par conditio & aequalitas utriusque partis; utriusque enim aequaliter licet iura sua in iudicio Revisorio proponere; nec refert, an pars iura ac rationes suas proponat in priore, an in repetito iudicio Revisionis, imprimis, cum nihil novi afferre liceat. Par quoque conditio utriusque partis ideo est, quia, ut pars una per Cameralem sententiam victa Revisionem habet, ita & altera habuisset, si per

per istam sententiam læsa fuisset. In paritate enim supponi debent pares termini. Deniq; in plurimis causis partes invicem dissimiles, & sæpissime modo actor, modo reus melioris conditionis est. Exempla sunt apud *Wissemb. ad l. Non debet 41. n. 3. & seqq. ff. d. R. f.*

XXXIV. Neq; illud, quod Imp. Romani ipsi judiciis interfuerint & cognoverint, valet: Nam neq; semper neq; omnes id fecerunt, utiq; non Neronis, Domitiani, aut Commodi. Quin certum est, regulariter Præfectos Prætorio vice Principis seu vice sacra judicasse. *l. un. ff. de off. Præs. Præs. Cujac. ib. obs. 2.* Aliud vero in supplicationibus fuisse, & ipsum Principem ibi, non vero alios vice Principis cognovisse, nullibi dicitur: nam textus citati de supplicationum cognitione non agunt. Deniq; frustra per conjecturas agitur, ubi res per Recessus Imperii definita est, ut modo ostendimus. Atque ita Revisionis Revisionem indistincte non obtinere, & in Camera nunquam practicatum se meminisse ait *Gail. 1. Obs. ult. n. 3.*

XXXV. Processus & ordo judicii Revisorii compendio hic est: (1) Pars victa intra 4. menses à lata sententia interponit Revisionem edito libello apud Archi-Cancellarium Imperii, & hic Cameræ eam insinuat, additis, si pars velit, gravaminibus; quorum tamen gratia alium terminum petere potest. *R. f. noviss. §. 125.* (2) Intra eundem terminum juramentum revisorium à parte & Advocato præstatur in Camera: eaque omnia sub pœna desertionis. *d. §. 125.* (3) constitutis, ut supra dictum, Revisoribus, hi jusjur. itidem præstant ex formula quæ est in *O. C. p. 3. tit. pen. §. 4. & 9.* (4) sequitur depositio summæ à Revisoribus texandæ, de qua *O. C. tit. pen. §. 2. d. R. §. 126.* (5) Item cautionis oblatio, de cujus cognitione *vid. d. R. §. 124.* (6) Tentatur inter partes compositio. *d. R. §. 133.* (7) Revidentur acta omnia per Revisores juxta ac Assessores, qui cognitioni antea interfuerunt, ac horum rationes audiuntur. *d. tit. pen. §. 1. & 4.* (8) Revisores soli causam ex prioribus actis co-

C

gnoscant,

gnoscent, permiffa cuique parti femel caufam ex fcriptis defendendi, non vero nova allegandi potestate. *d. tit. pen. §. 3.* (9) Reformatrix fententia Camerali executioni committitur, & depositum parti redditur. *d. tit. pen. §. 4. in fin* alias vero Revisorum neceffitatibus impenditur. *d. R. J. §. 126.*

XXXVI. Simili quodammodo processu in iudiciis Statuum res peragitur. In Electorali Palatinatu interponitur apud serenissimum Principem Electorem vel apud Consilium Regiminis *ben dem Regierungs-Rath. Ord. Rev. tit. 1. §. Viertens* / In Ducatu Württembergico tantum apud Consilium, quod dicitur, *Ober-Rath/ Land R. p. 1. tit. 78. in princ.* in Marchia Electorali Brandenburgica fit per viam supplicationis ad ipsum sereniss. Electorem sine alia interpositione vel introductione. *Brunnem. Process. Civ. c. 28. n. 115. & 117.* In Saxonia ejus loco Leuterationes & Oberleuterationes coram eodem Judice instituuntur. Summa revisibilis in Palatinatu est 1000. aureorum, *tausend Goldgülden* / inter quam & summam ejus appellabilem nulla proportio videtur, *d. tit. 1. §. Drittens.* In ducatu Württembergico est tantum 200. florenorum, *zwey hundert Gülden sortis. d. tit. 78. in princ.* In Ducatu isto revisio interponi potest intra 3. menses. *d. l.* In Palatinatu intra 6. tantum septimanas. *d. §. vierdtens.* Ibi Consilium ipsum, *der Ober-Rath* directo citat & juramentum Revisorium exigit. *d. tit. 78. §. darauf soll.* Hic revisio nomine serenissimi Electoris clausis majoriq; figillo munitis literis intimatur Revisoribus & dicasterio. *d. tit. 1. §. fünftens.* & tum juramentum revisorium coram iudice priore, scil. Dicasterio præstatur. *ib §. Siebendens.* Ibi summa intra octiduum à decreta Revisione deponenda, minimum est 50. florenorum; si vero fors major sit 1000. florenis, est 150. florenorum, aut amplius pro ratione causarum ac personarum. *d. tit. 78. §. So dann nun.* Hic indefinita, & saltem ante cœptam Revisionem deponenda. *d. tit. 1. §. Sechstens.* Ibi duo scripta à partibus exhibita communicantur priori Judici, ut super iis ille, quæ pro
in-

informatione causæ & justificatione sententiæ necessaria sunt, exponat, eamq̄ declarationem Consilio Revisorio remittat. *d. tit. 78. §. volgens.* Hic Assessores eorumq̄ rationes oretenus à Revisoribus audiuntur, unaq̄ acta revidentur. *d. ord. Rev. tit. 2. §. Drittens.* quin & plura scripta conceduntur, si ante non nisi una instantia fuit. *d. tit. 2. §. Zwentens.* Ibi executio suspenditur, si illa in principali causa præjudicium allatura sit, quod Consilii Revisorii arbitrio committitur. *d. tit. 78. §. Doch soll.* Hic ut in Camera, executio non suspenditur. *d. tit. 2. §. Fünffstens.* Ubique tamen ea non suspensa cautio idonea præstatur. *dd. ll.* Hic executio reformatæ sententiæ priori Judici committitur: *d. tit. 2. §. Drittens.* Nec ibi in specie contrarium statuitur in *d. tit. 78. §. fin.* Utrobique si reformetur sententia, summa parti restituitur, si confirmetur, fisco infertur. *d. §. Drittens. & seq. & d. tit. 78. §. fin.*

XXXVII. Alius est processus in Revisione illa singulari, quæ datur, cum appellatio ratione summæ locum non habet, de qua *thes. 3. sup.* Ea petitur ab ordinario Magistratu, qui olim vel ipse in ea cognoscere, vel ad Universitatem mittere poterat. *R. J. 1600. §. 16.* Hodie vero hæc transmissio actorum ad universitatem vel Collegium Juridicum necessaria est; & revisio fit ab illa universitate. *R. J. noviss. §. 113.* cujus sententiam proinde Magistratus præcise exequi tenetur. Debet autem peti in termino juris ut dicitur *d. §. 10. ib.* *In gebührender Zeit Rechtens.* quod ambiguum est, & alii biennium, ex *l. un. C. de sent. Pras. Prat.* alii decendium intelligunt. ex *Auth. quæ supplicatio C. d. prec. Imp. off. N. 119 c. 5.* Probabilius de jure videtur, decendium requiri ad effectum suspendendæ executionis; biennium autem sufficere ad effectum retractandæ sententiæ. *d. N. 119. c. 5.* Verum in Camera approbatum esse solum decendium, ait *Blum. de Proc. Cam. tit. 46. §. 22.* Unde dicendum, quod hæc Revisio effectum suspensivum habeat *d. N. 119. c. 5.* quem & Leutationes Saxonicae habent. Sed nec summam Revisibilem in ea requiri puto. At duo saltem scripta hic

02774 3634) 20 (

hic quoque permittuntur. *R. J. 1600. §. 16.* Quod si à magistratu denegetur, adversus eum mandata pœnalia sine clausula à Camera impetrari possunt. *Blum. d. tit. 46. §. 18.*

XXXIIX. Finitur Revisio cum per desertionem si terminus ejus legalis observatus non fuerit. *R. J. noviss. §. 125.* adeoque tunc non opus est cautione; tum per renunciationem, si pars renunciaverit: quod licitum est ante 6. septimanas quam Revisio cœpta fuerit, refusis tamen impensis. *Deput. Absch. zu Sperr. 1557 §. Wiewohl ferner 23.* cui convenit *Ord. Rev. Pal. tit. 1. §. Achtens.* Postea autem si renunciaret pars, perdit depositum & punitur arbitrariè, ac neutro casu opus est cautione partis adversæ. *d. Rec. Dep. Spir. §. 24. 25.* Reliqua nunc mittimus.

Atque hæc sunt, quæ de nobilissima hac materia loco disputationis Inauguralis pro exili meo judicio conscribere volui.

DEO sit Laus & Gloria pro sua
divina assistentia.



1077



Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black